



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Impedimentum erroris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

50. Ecclesia potest irritare contractus mediatè, reddendo personas inhabiles ad contrahendum; & immediatè, irritando contractum matrimonii, v g infidelium *ibid. num. 2.*

51. Per consuetudinem legitimè præscriptam possunt nova impedimenta induci, & inducta auferri: consuetudo enim vim habet inducendi legem, & inductam abrogandi. *Ibid. n. 7*

52. Impedimenta non solum impedientia, sed etiam dirimentia secundum jus antiquum sunt duodecim; secundum verò jus novum sunt quatuordecim: nam Cōc. Trident. addidit *raptum, & defectum presentia Parochi & testium.* Omnia sequentibus versibus continentur:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,  
Si parochi, & duplicis desit presentia testis,  
Raptave sis mulier, nec parti reddita tuta:  
Hic facienda vetant connubia, facta retrahant.*

Præter hæc, extant alia tantummodò impedientia, quæ paulò post occurrent. *Ibid. num. 10.*

*Impedimentum erroris.*

51. Matrimonium contractum cum errore circa substantiam, est invalidum jure naturæ, tam inter fideles quàm infideles: errantis enim nullus est consensus; nec refert quod error sit comitans, nisi fortè errans intendat de præsentì contrahere cum tali persona, qualiscumque illa sit. *Ibid. punct. 2. num. 2. & seq.*

54. Matrimonium contractum cum errore qualitatis, non est invalidum: neque celebratum per dolum dantem ipsi causam; adest enim voluntarium simpliciter & consensus positivus. Intellige tamen hanc doctrinam cum duplici limitatione, scilicet ut qualitas circa quam erratur, non fuerit appposita per modum conditionis. ex gr. si quis dicat, *Duco te in uxorem si es nobilis*: deinde ut error qualitatis non transeat in errorem personæ: tunc enim cum erreretur circa personam, invalidum est matrimonium. *Ibid. n. 5 & 6.*

55. Tunc autem error qualitatis transit in errorem personæ, quando qualitas in qua erratur, respicit aliquam certam & determi-

terminatam personam, distinctam ab ea quæ præsens est  
num. 7.

56. Validè contrahitur matrimonium cum eo qui se  
filium Regis, non explicans cujus Regis filius sit. Similiter  
validum est matrimonium, quando non intervenit error per-  
sonæ, sed qualitatis, *Ibid. num. 8. & 9.*

*Impedimentum conditionis, seu servitutis.*

57. Matrimonium contractum cum errore conditionis  
non est invalidum, quando persona cum qua contrahitur, est  
æqualis, aut melioris conditionis; unde servus contrahens  
cum serva, quam credebat liberam esse, validè contrahit. Simi-  
liter & liber contrahens cum serva, quæ contrahendo  
libera. *Ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

58. Error conditionis irritat matrimonium, quando condi-  
tio errantis fit deterior, ut quando liber contrahit cum serva  
quam credebat liberam. Irritum etiam est, quando liber con-  
trahit cum serva, cum qua adhuc contraheret, cognita ser-  
vute. *Ibid. num. 4. & 5.*

59. Matrimonium inter liberum & servam celebratum,  
validum, si liber cognito errore copulam habeat cum serva.  
*Ibid. num. 6.*

60. Servus potest invito domino matrimonium celebrare  
cum serva, vel cum libera: non tenentur tamen domini con-  
sentire; dubitaturq; an possint vendere servos in locis distan-  
tibus, in quibus servi non possint reddere debitum, maxime  
quando servi sine eorum licentia matrimonium contrahunt,  
non posse sine peccato mortali, asserunt Theologi; si-  
cerent enim contra jus illorum. *Ibid. num. 7. 8. & 9.*

61. Filius sequitur conditionem matris, id est, servitutem  
quando est serva, & è contrariis mater fuerit libera tempore  
conceptionis, vel partus, & postea non fiat serva jure bello.  
Quando femina gravida se vendit, filius est liber, & non ser-  
vus. *Ibid. num. 10. & seq.*

62. Uxor constante matrimonio non potest se vendere ali-  
que viri consensu; secus dicendum de viro, qui non est sub-  
iectus uxori, nisi ratione debiti conjugalitatis. *Ibid. num. 13.*

*Impedimentum voti.*

63. Votum solemne est illud quod emittitur in susceptio-